



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 479. De traditionibus Thiadrici atque Erponis spectantibus ad villas  
Rothe in pago Auga, et Sulugun in pago Almunga.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

§. 477.

Tradidit arnald pro fratre suo ludolfo L iugera in *ociffelde* et V mancipia et I iurnalem (w).

et gubere  
nante  
Corbe-  
iam  
Drut-  
maro.

§. 478.

Tradidit hogerus in *dikeffen* (x) X. iugera.

§. 479.

Tradidit thiadricus pro filio suo bern in *rotbe* (y) XXX. iugera et I. mancipium et VI. mancipia.  
erp tradidit pro filio suo frederico in *sulugun* (z) LX iugera et I iurnalem.

§. 480.

Tradidit siuuard pro filio suo thiadmaro I mansum in *acnuerlan* et I in

- (w) *Villam Ociffelde* insertam fuisse *pago Northburingi*, indicat Saracho abbas in Registro. Designari oppidum *Obisfeld* in ducatu Magdeburgico ad Aleram fluium neminem facile negaturum putamus. *Arnaldum* eiusque fratrem *Ludolfum* inter Saxonie nostrae nobiles esse referendos, patet ex eo, quod *Arnaldus* tenuit mancipia, id est, homines, quos tradidit ecclesiae Corbeiensi ad annum censum dandum, quemadmodum ex Registro Sarachonis saepius laudato patet. Hereditum fuisse *Arnaldi* illa L. iugera Corbeiensibus data, nemo non perspicit. Alodia tempore regum Francorum possessa fuisse ab *Adelinguis* seu nobilibus, et ab ipsis monasteriis, id ipsum e chartis nostris patescit. *Liberi*, qui non erant adelingi seu nobiles, a statu autem seruorum seu mancipiorum exempti, tenere quidem possessiones hereditarias. An autem eae fuerint ab omni nexu ita liberae ut liberi homines eas pro arbitrato aliis tradere potuerint, tantisper dubitamus. Insuper hi non raro in chartis appellantur homines *liberi, qui propriam non habent, item liberi pauperes, qui propriam terrarum possessionem non habent*. Nec, quantum scire datur, vllum exstat documentum literarium, quo demonstrari possit, homines liberos possedisse mancipia, id est, seruos et ancillas. *Arnaldum* itaque habemus pro Adelingo Saxonie nostrae. Videtur eius pater fuisse *Ranwardus*, de quo confer §. 394 dicta.
- (x) *Ad pagum Leri* spectasse villam *Dikeffen*, docet nos abbas Saracho. Circa monasterium *Wildeshufen* existisse pagum *Leri*, iam supra ostendimus. Quoniam autem in loco reperiunda sit villa *Dikeffen*, nondum indicare videmus. *Hogerus* an fuerit filius *Bardonis*, de quo supra §. 392 comites *Hojanos* deduximus, id in medio relinquimus.
- (y) *Thiadricum* bona quaedam, ad villam *Rotbe* sitam tradidisse anno MXXIII ipse cum filium suum Deo ad reliquias S. S. martyrum *Stephani* atque *Viti* offerret, patet e Chronico nostro MSpto et coetaneo. In eo ad d. a. haec verba leguntur: *receptus est in monasterium Bern filius Thiadrici nobilis*. Ad quam autem familiam relatus fuerit ille *Thiadricus*, patescit e villa *Rotbe*, quam Saracho abbas refert ad pagum *Auga*. Haec dudum desolata est; olim vero existit vix duo millia passuum a nostra Corbeia in loco, vbi adhuc appellatur campus, a villa nostra dictus *am Robr* seu *Rodenwege*. Multa hic haberemus, quae dicere possemus, si esset locus. Eadem villa postea fuit in monasterium conuersa. Referuatis autem illis ad Historiam nostram Corbeiensis, putamus, neminem fore, qui neget, *Thiadricum* ad progenitores *Euersteinensium* comitum spectasse, fratremque fuisse comitis *Chuonradi*, de quo vide supra §. 104 not. (n) exposita.
- (z) *Sulugun* villam refert abbas Saracho in Registro ad pagum *Almunga*. Hunc in episcopatu *Paderbornensi* ad flumen *Almam* existisse, iam supra indicauimus. Quinam autem locus denotatus sit, id later in obscuro. Interim confer, quae supra sunt dicta §. 400, vbi mentem nostram aperuimus de *Erpone* eiusque filio *Frederico*.

De villa  
Ociffel-  
de in  
pago  
North-  
thuringi.

De villa  
Dikeffen  
in pago  
Leri.

De villa  
Roche  
in pago  
Auga.

De villa  
Sulugun  
in pago  
Almun-  
ga.

Uuu u